DOCTORI IOANNI
DE LVNA VEGA
Doctor Franciſcus Ximenius Guillen.

SI Sedatiori animo ad ſcribendum in meam pro Valleſio *apologiam* calamum arripuiſſes, forſan honoratiori titulo,& aptiori proœmio in tua magis ſatyrica quã medica reſponſione me condecoraſſes. Conſultò præter mitto tanquam ſcurrilia multa inter ſcribendum in me ingeſta convitia, quibus omnium medicorum judicio tua ſcripta inter linis,tædioque magis quam voluptate afficis legentes.

Diſcipulum fuiſſe tantum temporis poſterioritatem, nõ minus ingenii neque minus ſciẽtiæ arguit. Quot enim quantique diſcipuli ſuos magiſtros in artibus excelluerũt? Sed ſi ut res ſe habet, ingenuè fatendum ſit: Conſcius ipſe es Alphonſo de Alcala Monte inſigni præceptori noſtro,& fere Antonio Nebriſſenſi ſecũdo prouectiora Grammatices ſtudia nos debere: Si quidem ambo ejus ferulæ manum ſubjiecimus:quamvis meæ poſterioris ætatis ſors & condicio,cum primum ad ſcholam veni, me tibi ſubdiderit non in Grammatices rudimentis inſtruẽdum, ſed in repetendis ac relegẽdis, quæ à noſtro ſingulis diebus audiebam magiſtro: eras enim tũc temporis ejus repetitor, at ego meo ſtudio,& labore adeo progreſſum feci,vt tibi in idẽ rudimentorum magiſterium poſtea ſucceſſerim.

Hiſpali feré quartum medicinæ curſum jam peragens,Cathedram te nuper conſequutum parum temporis audiui:nec ideo habeo nec vnquam habebo magiſtrũ modo à me explicato pœnitendum, ſed hoc reſpectu colendum. At quia puto in re literarum militari nulla quantumvis præclara ingenia poſſe ingẽtes progreſſus facere,niſi habeant antagoniſten,vt græci dicũt, qui cum decertet, qui cum colluctentur: nõ ſolum cum æqualibus, verum cum majoribus etiam magiſtris (ſalua pace & decoro) oportet contendamus; Alioqui futuri ſemper infantes quamvis cani.Adhuc enim nõ me fugit quã incõgruũ exemplũ

de vapulatione filii à patre in tuo prœmio mihi cano adaptaueris. Nullus enim pater, si prudens sit, filium canos habētem capillos flagellis cædit, sed efficacibus rationibus eum arguit, corrigit & cōfundit. Vtinam in me ita te gesisses, silentio prætermisis Mæsonicis dicteriis nō solum à patre in filium dictu nedum typis mandatu indignis.

Cap. 3. Quam injusto nomine Vallesii consilium voces empericum, & quam sit Methodicum, consulas ipsum met Auctorem libro, 3. suæ litteris aureis exarandæ Methodi. Vbi post multa de antepositione, & interpositione localium euacuantibus auxiliis, in hæc verba prorumpit, *Neque sanè ad cucurbitularum admotionem, quæ ab alto exhauriant, necesse est corpus ita esse inanitum, vt in maxima penuria constitutum sit, sed satis est esse euacuatum, quantum res tunc videatur exegisse, ne plenum sit* & paul ꝰ inferius ait. *neque sanè a Methodum est, quia vt antea diximus, ordo à causa prohibente siue causa sine qua non prior est quam ab efficiente.* Quod autē dolor in casu proposito Vallesii harum causarum habeat rationem, jam in mea apologia ostendi.

Circa Galeni locum quem adducis, vt nemo miretur Vallesium in hoc dormitasse. imprimis si velis scire quantum in hoc
Sex. 6. tex. magis quam in vlla alia re medica hic auctor virgilaverit, legas
29. ejus commentaria in libr. 2, Epid. & in libr. 4. ejusdem tracta-
Tex. 43. tionis, ipse enim tibi adamussim satisfaciet. Deinde non ne vides eadē ratione locū ipsum aduersus te esse itavt tuo te gladio jugules. Nā cū homo sis, ego nō miror quin in hoc decipi possis: etenim, si esses angelus, absq; dubio plus tibi fidei quā Vallesio adhiberē. Verū inter duos homines tāto plus fidei habeo Vallesio, quanto plus illi in medica facultate quā tibi habetur.

His addo (quod forte tuæ deceptionis est manifestum indicium) quod scribis hunc Hippocratis locum non solum à Vallesio verum ab aliis multis præclaris medicis male esse intellectum: ex eo solum quód tibi persuaseris Hippocratem tātum agere hic de reuulsione, & Galenum in commentario de remigratione, quæ sit interpolata reuulsione. quod quantum ab illorum mente alienum sit, clarius secundó accipe, quando quidem primó me non bene percepisti.

Deriuare, cedentem retrahere statim, remitenti cædere. alium succum non exeuntem ducere, &c,

In hac sententia Hippocrates perscribit modos curationum in

in humoribus fluentibus. Primumque quo pacto humor (qualiscunque sit siue grassus, siue tenuis) euacuationis indigens cũ ad locum non conferentem confluit, aduertendus sit, edocet deinceps cum dicit alium succum non exeuntem ducere, quis humor vacuandus, & per quam regionem mostrat. Primum ita esse exempla in commẽtario.7.à Galeno posita (vt ipse in meo opusculo eduerti) ostendunt. Aitque Hippocratis quoad reuulsiionem attinet, si ea pars ad quam humores tendunt, aliquo affectu laboret ita vt per eam regionem euacuari non conferat, (quod alibi ait reuellere si quo non oportet vergat, & per conuenientem regionem) illos retrahendos esse confestim, id est, circa initia videlicet ante quam humores fluentes parti affectæ inhæreant. Nam si ibi moram traxerint, noxam haud exiguam inferent, permanentes namque in ea vt docet Galenus in commentario bifariam illi in commodabunt, partim quòd sua copia extendent, partim etiam quód qualitatibus suis molestabunt. Mox igitur ab eadem auertẽdi sunt, dum modo ob secundantes fuerint humores.

Quia verò non semper cedunt, sed aliquando humoribus adhuc fluentibus aliqua humoris jam fluxi portio parti affectæ inhærere solet, ita vt reuulsioni non cedat, imo adeò resistit vt ab affecta parte auelli nequeat: in hoc euentu docet Hippocrates per particulam (renitenti cedere) non esse permanendũ, sed à reuellentibus esse cessandum.

Quis autem sit hujus cessationis finis, hoc opus hic labor. Nec mirãdum, cùm Hippocrates præcipuè in hoc. 6. libro Epidem. tam enigmaticè quam laconicè scripserit, Vallesius existimat á reuellentibus cessandum, vt humor in parte contentus euacuetur; sicque interponit euacuãtia retrahentibus. idquod insinuauit Gal. in commentario, alibique. Doctissimus Veiga expræssit. Tu vero Luna Vallesio splendenti medicine soli te opponens, omnibus artis præceptis onustus defendis in hoc Textu fundari nó posse hunc auctorem, ex eo solum quód tibi persuaseris ante se datam omnino fluxionem nó posse exerceri euacuationem a parte, & quòd Hippocrates solum agat de reuulsione: tum etiam quod Galenus in commẽtario loquatur de remigratione, quæ fit per cessationem à reuellentibus quemadmodum libro 4. de saut. tuen. Inde fit vt in casu vrgenti qualis est propositus Vallesii ab euacuantibus à parte abstineas,

totumque negotium reuellentibus minime curationi sufficiẽtibus committas: expectesque vbi morbus inducias expectãdi nõ dat, quia existimas renitentem humorem, & in affecta parte jam fixum etiam maximo dolore vrgente sola reuellentium intermissione iterum in venas regressurum eo modo quo in affectu Phlegmonoso remigrat. Et in hoc non aduertis casum Galeni de affectu Phlegmonoso etiã quoad reuulsionem esse valde distinctum á nostro. Et enim in illo sola reuellentia curationi seu potius præcautioni sufficiunt, vt pote in quo cedẽtes habemus humores absque dolore vrgẽte, minime actu (vt in proposito Vallesii casu) sed solum potestate lędentes.

Cap. 3. Cap. 21. Loci Galeni pugnantes diluuntur.

Ex quo obitèr diluuntur duo Galeni loci pugnantes circa reuulsionem. Nam lib. 5. Meth. Procuranda hæmorrhagia in reuulsione venæ sectionem repetit eadem die, nõ diuersis diebus quia homo actu læditur. libro verò de curãdi ratione per sang. miss. dicit in venæ sectione vbi institutum est euacuare, eadem die repetẽda est venæ sectio: in reuulsione autem diuersis diebus. Quia expræssè tunc ponit sanguinis peccatum nõ vt actu lædit, sed vt potest lędere, qualis est casus affectus Phlegmonosi. in quo 2. & 3. die sanguinis detractionem repetit. Proinde cum in illo humor nondum parti sit affixus ita vt actu lædat vt in pleuritide, sed ita facile cedit vt á totius corporis ambitu per illud temporis spatium in quo a retrahentibus vacamus, iterum remigrare possit in venas, diuersis diebus repetit venæ sectionem.

At vbi humor ita parti affigitur, & ratione doloris attrahẽtis retractioni etiam interpolatæ adeó renititur, vt ab ea ne per remigrationem quidem (vt tu vis) nisi maximã cum difficultate, & tardè auelli queat (id quod contingit vel ob virium debilitatem tantum euacuationem non ferentem, vel ob inflammationem malignam, in qua sanguis in parte contẽtus nõ remittitur, vt in casu Vallesii est videre) quid tunc faciẽdum sit præter dictos auctores etiam ex Fuchsii Latina interpretatione, & ejusdem in eum locum expositione (quam scio, á te etiam rejectã iri, veluti & reliqua quæ cõtra tuam opinionem faciũt) manifestissimè patet. vertit enim ille sic.

Cedentem retrahere statim, resistentem vincere, & inter locum exponẽdum ita ait. *Quod si verò humores medico restiterint vt à parte affecta auelli non queant, id quod fit vbi in membro affecto figuntur: tunc* hos

hoc unum conetur ut eosdem ratione quadam vincat, commodiscue auxiliis naturam adjuvet, adjuvabit autem si vel ad proxima humoris impetū direxerit, vel ab ipsa particula qua affligitur, vacuaverit, Et Paulo post ex Galeno adducens illud vniuersale præceptum. *Atqui sanè in vniuersum didicimus quòd incipientes fluxiones reuellere oportet, fixas vero in laborante particula aut ab ea qua affligitur parte vel à maxime vicina vacuandas esse.* Mox subdit, *Proinde rectè jam ab Hippocrate dicitur alium humorem non euntem educendum esse, nempe resistentem atque in affecta jam parte fixum, nec sua sponte prodeuntem.* Quid clarius & conformius Vallesii opinioni, & nostræ in eum expositioni dici potest?

Ex quibus colligo aliud quid magis artificiosum tua remigratione insinuare Hippocratem. Quod meritó Galenus ait bene revulsuris vtilissimum esse cognitu, videlicet vt prius dolor sedetur. Id quod expressit Lemosius libr. 12. Meth. vbi posquā ad verbum totum Galeni commētarium super hūc Hippocratis Texum transtulit, Sic ait, *His sane verbis Galenus prius anodinis vitur, deinde revulsoriis auxiliis.* Et mox dubium hoc diciderìs inquit, *Dicendum est dolorem bifariam à nobis considerari, aut quando ipse est causa decubitus humoris, tunc enim prius dolor est remittendus, propterea quòd dolor attrahit: aut quando ipse est effectus decubitus, quod ferè semper accidit, & tunc revulsoriis initio vtendum est.* Hactenus Lemosius. Cap. 8.

Eandem sententiam sequutus est Petrus Garcia meus magister, insiguis Complutensis doctor, & Cathedræ medicinæ primariæ etiam nunc moderator. Dicens hāc praxin esse Galeni. Huic Hippocratis & Galeni interpretationi assentitur Petrus de Peramato, nostra tempestate medicus celeberrimus ac excellentissimi Ducis de Medina Cydonia quōdam Protomedicus, qui libr. de euacuan. ratione Auicenam hoc intellexisse credit, vbi dicebat, *Cum ad diuersum trahere volueris, dolorem membri a quo trahis prius seda.* additque, *Id quod fortè voluit Hippocrates vbi cedentem humorem reuellit, repugnanti varò, & valde impacto docet obsecundare.* Sedādus igitur prius est quoquo modo dolor vel anodinis, & laxantibus vt placuit Auicenæ (sic enim humor magis fluxilis, & euacuari aptus redditur) vel si his non cedat, sed adhuc magis vrgeat, ex toto remevēdus cucurbitulis scarificatis, vt voluit Vallesius.

In exposit super libr. 13. Meth. c. 10. manu scripta.

Cap. 26.

Hunc duplicem dolorem auferendi modum docuit Hippo-

crates, primum lib. 2. Epid. cum ait si *auris doleat, lacte vtatur.* Quasi á facilioribus incipiédo. Secundum libr. 4. Epidem. Vbi ad auris dolorem cucurbitulam affigit. quæ sane vt bellè Vallesius aduertit videntur longé diuersa auxilia. *Sed non mirum (inquit ille) multis sæpe opus est ad eandem passionem, aut ob differentiam causæ aut temporis: veluti si ad phlegmonem auris in primis instilletur lac temperandi partem, & mitigandi dolorem gratia, procedente malo affigatur cucurbitula reuellens & euacuans.*

Ex dictis manifeste liquet quã extra Hippocratis mẽtem sit tua propositio in qua asseris has duas postremas Textus propositi partes cedentem retrahere statim, re nitenti cedere, ambas revulsionem respicere nullo alio interposito auxilio. Nam in maligna pleuritide, & cujusque etiam partis inflammatione rebelli, quæ humoris cõtenti nihil remittit, ac proinde sanguinis euacuatio ejus dolorem non leuat, à sanguinis missione abstinebimus; verum in hoc euentu nisi prius partis dolorem quovis prædicto modo sedaveris, impossibile est ne per renigrationem quidem à parte affecta humorem evacuari. & hoc est quod Hippocrates voluit per particulam *renitenti cedere.* & quod Olsecit Avicena cũ dicebat, *Cum ad diversum trahere volue rit dolorẽ mẽbri aquo trahis prius seda.* Quod de vehemẽti dolore debet intelligi (quoniam in debili revulsio potest fieri absque doloris mitigatione vt fit libr. 4. de sanit. tuen.) Si quidem in hoc casu vt recte aduertir Doctissimus Martinus Acachias
Pag. 298. lib. 2. de art. cur. ad glau. *Humor in parte contentus commodè aufer ri non potest nisi mitigatio dolore, habet enim is rationem ejus sine quo non, nam doloris vehementia (inquit ille) tractum sanguinis ex inflammata parte ejusque in venas regressum impedit.* Mihi profectó satisfacit Acachias, tibi Deus satisfaciat.

Adde etiam quòd ex duabus attractionibus in cõtrarium factis, videlicet á dolore, & á revulsione fit humorũ agitatio, & ex consequenti ad locum affectũ attractio, ac proinde ipsius doloris auctio. Nam ex vehementi motu humor subtiliabitur, & habilior fiet ad fluxum: quo fit vt nõ attrahatur ad oppositum, quinimo potius velocius fit declinans ad locum affectum. Quam rationem reddit subditque statim Avicena sic scribẽs. *Cumque ad locum non obedit, ad quem ipsam trahis, non violenter agas; quoniam quandoque violentia illa ipsam monebit, & subtiliabit & non trahetur, & fiet velocius declinans ad dolentem locum*, erit igitur dolor,

dolor, si vehemens sit, prius sedandus.

Hinc facile diluuntur tua facilia paruique momenti argumēta. Ad primum ex Fuchsii interpretatione, & ejus in cum locum expositione patet: Si quidem per renitenti cedere idem insinuat Hippocrates ac si diceret cessando á reuellentib. resistētem humorem esse euacuandum. quod immediatè expressit, dicens *alium succum non exeuntem edicere*.

Ad secundum Hippocrates hic nō tanquam logicus diuidit auersionem vt genus est ad deriuationem, & reuulsionem (tūc enim valeret tuum argumentum) sed tāquam medicus modos curandi humores fluentes per hæc remedia proponit. Atque ita bene potest modo à me jam explicato procedere: si quidem argumento Hippocratis, & ejus instituto non incongruit, si tradens præceptum bene reuellendi, dicat, si humores cedāt; semper atque statim esse retrahendos, id est, sola revulsione vtendum. Si verò renitantur, id est, soli revulsioni nō obediāt (id quod cōtingit vbi parti affectę figūtur) non semper, sed vt optimè Galenus in commentario docet, tātisper á retrahētibus abstinēdum, donec humorem parti impactum (quem vocat Hippocrates renitētem) evacuari sinamus vel natura perse expellēte, vel à nobis arte adjuta, si per se sola non sufficiat. Sic in dyssenterico fluxu inter revellēdum etiā à principio humorem in parte cōtentum per eandem regionem videlicet intestina (licet mala sit inclinatio) clysteribus lauatiuis evacuamus, doloremque pinguibus sedamus ne sit tractionis causa, licet vlceri intestinorum noceant.

Ad tertium renitens respectu cedētis dicitur, & è cōtrario: sed quādo per revulsionem renitens retrahi nequit, retrahere ad renitentem referri nō potest. atque ita nō est tunc idem dicendum de retrahere, vt tu dicis.

Ad quartum ex solutione ad primum patet quomodo immediate euacuationem Hippocrates subdat.

Ad quintum magis ad rem nostram facit Galenum in commentario ponere bene revulsuris humores cognitu esse necessarium: si quidem nisi prius humor contētus in parte evacuetur, vel saltin dolor sedetur, non bene fiet revulsio.

Ad sextum bene vetum est omnes humores nō æquē cedere, ac proinde bene advertit Hippocrates quid sit agēdum cū non cedunt, nempe cessandum á reuellentibus, vt humores

reni-

renicens, & in affecta parte fixos nec sua spōte prodeūntes euacuemus.

Ad septimum qui dicit nō semper permanendum in retrahētibus, aliquando permanēdum insinuat, videlicet cum humores revulsioni cedunt. At si resistunt, nō semper permanendum. quid autem sit tunc faciēdum ex dictis jam patet. Quare commētarium totum non est de retractione, sed admonet quomodo nos gerere debeamus in revulsione cum humor nō cedit, videlicet vt prius dolor sedetur quovis prædicto modo secundum rei indigentiam.

Ad octauum quia nō te capio, non respondeo: scribis enim obscurè multa, quod multi Hispalenses medici prædicāt. Hujus rei etiam rationem ignoro. Solum scio nō esse quia brevis esse laboras.

Ad nonum, quantum puget contra tuum argumentum locus Galeni ex libr. de sangui. miss. à me adductus, aliorum sit judicium, tuum enim suspectum est, nō ne probabas ex Hippocrate & Galeno per mutationem coloris sanguinis translationem in venas ex particula inflammata sufficiēter monstrari. institi ego ex Galeno ejusmodi mutationem nō semper expectādam vel ob virium debilitatem, vel phlegmonis prauitatem: *In quib. casibus (inquit Doctissimus Musa) vsq; ad mutationem euacuare non debemus.* Frustra igitur hic remigratio..ē speras. & si humor remigraret, tardius quam pro affectus adeò periculosi exigētia id fieret. quare profectò cauillator facetus es, qui per verba jejunus, & securus argumento respondes.

Comment. in lib. 2. de rat. vict sca 10.

Videant protervi, si vident, hic Galenum, &c. Quomodo Gal. (ut tu vis) in humoribus impactis, & cōstrictis expectare potest reditum in venas in his casibus in quibus solis revellētibus, sine alio auxilio interposito non datur regressus.

Et ne multa huic Textus promissæ elucidationis deesse videantur, &c. Vtrumque quod aduertis circa remigrationem, verum est, videlicet humoris remigrationem in venas esse posibilem, & dari ex Gal. doctrina multis in locis.

Si tamē pirrhonius vt tu dicis credat tenuem remigrare, & crassum inhærētem siue cōstrictum minime, ego id nō credo: atque ita omnia argumēta, & rationes quæ in pirrhonium adducis, cōtra me nō sunt. Solùm advertas velim circa secūdum argumentum quo probas in lethargo, & soporosis affectibus Oxirho-

Oxirhodinum apponi pro repercutiēdis crassis humorib. vt ite rū remigrēt in venas, id Gal. præcipere in principio, dum illud quod fluxit nō adeó parti est impactū, vt nō possit cedere repel lentibus: minime veró quādo valde est humor impactus, tunc enim Gal. licet cōcedat posse humorē crassum remigrare, tamē in hoc tēpore nō vtitur repellentibus ad promovēdum talē recursum; nā tūc humor ille nisi maxima cū difficultate nō recurret atq; ita se cōvertit ad resoluētia, & euacuātia à parte affecta.

Ad eundem modū cū retrahētibus humor nō cedit, nisi diffi cillimè & tardè, quid prohibebit propter vrgentiā ad euacuātia nos cōuertere, deinde iterum ad reuellētia redire; nā & in aliis curationbus, cū vrgentiæ aliqua ratione factū est satis, redimus ad legitimas indicationes, quæ procedunt à causis. Nec mirum quód Gal. lib. de sang. miss. nō expressè id dixisset; Si quidem ad rem nō faciebat. nā cum ibi tātum agat de modo, & mēsura euacuationis, tria cōstituit signa quibus cognoscemus quo tēpore cohibenda sit sanguinis euacuatio. inter quę primū signū ponit coloris sanguinis mutationem, quæ quamvis mensuram vacuationis indicet, non tamen hanc semper expectare oportet; sed interdum accidit vt antequam hæc appareat, cessandum sit duplici prædicta causa.

Septimò si do illis gratis inhærentē humorē nō transmigrare, &c. Dato quód inhærens humor nō transmigret, sequitur per se necessario esse à parte euacuandū, ex accidēti vero cucurbitula vel alio remedio. Vt magnitudo morbi per se magnum remediū poscit, ex accidenti venæ sectionem aut expurgationem. hanc sequellam Vallesius si viveret, probaret, tuamque improbaret ex positionem, falsitas enim doctos disjungit.

Octavò his adde Vallesium in maximis doloribus illam adhibuisse, &c. Quod maximi dolores á crassis etiam humoribus possint fieri docuit Gal. & experientia in multis affectibus vt in colico do lore, & hemicrania videre est,

PARS. II.

AD *Secundum accedens probabo te conuiuium, &c.*
Ad secūdum accedēs dico tuis malis verbis te potius convitium mihi quam me legētibus cōuiuium præparasse. Primūque quod mihi imputas me dixisse literā

B occidere,

occidere, & postea in fine vos Textu alia verba, &c. Quæ in eptè ais cōvenire. attēde id à me dictum quia exire,& excerni extra corpus juxta subjectam materiā de qua loquitur Hippoc. debet intelligi; ibi enim agit Gal. juxta Hippoc. mētem de revulsione humorum exeuntium extra corpus, in libr. 4. de sanit. tuē. de remigratione. Atque ita cum textualia verba vtrobique sint diuersa, diuersus etiam erit vtrobique sensus.

Catholicus qui virum vel ferum quē nec legere nec citare sanctæ inquisitionis tribunalis decreto cautū, &c. Circa hoc legas librum expurgatorium, vt deinceps in quibus locis hic auctor sit legēdus, & in quibus nō, scias. ausim spōsionem facere te nunquam Fuchsium legisse, cujus doctrinam æquè ac sectā vituperas. Ego vero cum doctissimum appello, ejus doctrinam medicam vnà cū aliis multis medicis laudo; sectam vitupero atque detestor, quā canepejus, & angue fugio.

Sed quod magis demiror, est, te promisisse me ereptur ū, & nō eripuisse ex hac confusione & cōtradictione, quæ apparet inter duas Textus interpretationes à me adductas: Fuchsium interpretatorum in traductione juxta ejus mentem, & nō esse interpretatum.

Cui nunquam ab ore decidit illud Musæ dictum, ex Hippocrate Hyppocratē, ex Galeno Galenum esse interpretādum, satius esset in prædicta traductione Fuchsiū ex Fuchsio interpretari, quam ad salis medici micam, Hippocratis Aphorismū, historias & Ciceronis Apophthegmata cōfugere. Quæ quidem omnia quam extra rem, & auctoris ipsius mētem sint, à te adducta, cū in hoc cecutias, legas illum, & videbis. Sed venia dignus es, si quidem Fuchsiū in hujus Textus expositione nō legisti.

Verbum tandē resistere vel resisto, reniti & renitor idem esse manifestū est, &c. Quis tibi hoc negat, vt dicas in hoc me litteram occidisse. Cōtradictionem nō posui in his verbis, sed in cedere & vincere. Dixique quód licet quis cōsulat exemplaria græca, ex eis nō esse soluturum eam cōtradictionem, nam idem verbum Græcum ὑπείξαι Crassus quidem vertit cedere, Fuchsius verò vincere. Quod autem vincere Fuchsii nō sit cedere eo modo quo tu eum interpretaris, ex ejus expositione á me adducta meridiana luce clarius patet.

Pro cujus Textus interpretatione, &c.

Ex Fuchsii expositione cōstat cónexionem hos Textus interse habere

habere. Ponit.n. Hipp. deriuationem,reuulsionē,& tertio euacuationem. Atque ita nō sciēter erat qui ea quæ sunt interse distincta ordine quodam cōnectit,videlicet prius faciēdum esse reuulsionem, si cedat humor, sin minus,euacuandum.

Bis repetit Hippocr. verbum deriuare,cujus duplicem commentationem facit Galenus, &c.

Calumniator magnus es. Nōne verbum deriuare bis repetit Hippocrates,semel seorsum dicēs (deriuate) atque iterum cū ait deriuare, cedētem retrahere statim, &c. Quorum duorum Textuum duplicem commētatiorem dixi seorsum fecisse Gal.

Hoc assertum primò temerarium arrogansque est,&c.

Mea propositio ex malitia falsa est, ex bonitate veró intelligētis vera. Dixi vbicunque agunt Hippocrates & Galenus de reuulsione,& deriuatione, ponere exempla in humoribus in aliquam particulam fluētibus, quæ vacuationi extra corpus viā habet destinatam, idque probaui ex lib.5. Meth. vbi ait Gal.de reuulsione, & deriuatione loquens, nam hæc quoque invēta sunt inmodicæ euacuationis communia remedia, cōclusique ex Galeno præcipuè esse invēta immodicis euacuationibus, deinde ad reliquas fluxiones extēdi. vbi particula præcipuè annotātēr posita teliquas fluxiones in alias partes nō excipit. Qualis est quam tu mihi male instas ex 2. ad glau.

Hæc est tua inventio,principium, medium & finis.

Quomodo agat Galenus in his duobus commētatiis de humoribus fluentibus ad aliquam particulam exitum vacuationi habētem ex dictis patet.

Quis locum de quo est controuersia vel argumētum à commentario vel ab auctoritate Achillem appellat.

Achillem appello, id est, defensorem, & murum cōtta tuam opinionem. In teliquis dicis quidquid in buccam venit, nam quomodo tu indysenterico fluxu humorem tunicis intestinorum inhærentem,& reuulsioni nō cedentem Clysteri Lauatiuo ab ipsa affecta parte euacuas; ita in teliquis partibus si commodè potest fieri, est faciendum. inde rectè dixit Hippocr.alium humorem non exeuntem ducere.

Non video quomodo non offendas Vallesium.&c.

Exemplo á me nuper posito,& aliis topicis á parte euacuātibus videbis quomodo ex partibus affectis prędictis aliquid humoris inhærētis educatur,& educi queat. Imò nisi prius eum eua-

cues, nunquam bene reuelles: quia humor ob suam acrimoniā dolorem ac proinde fluxionem excitat; quare prius dolor est sedandus.

Cujus gratia in dyssenterico fluxu adipe hircino Gal. vtitur. Eodem modo Vallesius humorem in parte dolorem excitātem per ipsām met partem euacuat, cum dolor nec sedātibus, nec humor retrahentibus cedit.

En quo pacto nec obscuro Vallesium sed explico, & Gal. cū Veiga, & aliis á me citatis teneo.

Si quid est quod obijci posset, hoc est, &c.

Quia nimius est in scribēdo, & tāquā Diuus intertubras omnia, verbis aliisq; iam á me jam dictis nolui resp5dere, crambe enim reperita nocebit. Mea acuto omni satisfacit intellectui, tua vero responsio hominis calumniantis potius est.

Arguit qui tibi hoc dedit argumentum sic, valet quidē in affectu phlegmonoso, minime vero in particulari phlegmone, &c.

Distinguis quoad reuulsionem nego quoad alia remedia cōcedo. Profectō si me á principio tenuisses, non ita respōderes, jam ego supra explicaui quo pacto etiam quoad reuulsionē casus Gal. de affectu phlegmonoso distinctus esset à nostro, in quo vt bene reuellamus, prius sedari debet dolor: in phlegmonoso vero affectu sola reuellentia sufficiunt absque doloris sedatione particulari.

E quibus inductis vel deductis locis?

Ex illis á me supradictis, ex verbis exire & excerni, ex eo quod Hippocrates subdit alium succum non exeuntem ducere.

O dictum indignum baccalaureo. humor exire conabatur.

Bona verba quæso. quid quōd humor dicatur quod conabatur exire, non ne Gal. humorem turgere dicit, cum propriè natura turgeat. Ad argumentum verò quo probas ex hoc commētario non esse faciēdam euacuationem, nulloque modo in eo fundari, respondeo quōd tunc verum esset, si semper sola reuulsione humor impactus euacuaretur. At quia non semper reuulsioni etiam interpolatæ obedit, ideo interponendam euacuationē humoris impacti jubet, vt postea melius fiat reuulsio ejus qui ad partem fluere cœpit.

Quam egenus sis vndiquaque, nullibique firmasse pedes, &c.

Honestioribus verbis poteras procedere, cucurbitulę non meminisse Gal. nō mirādum nec enim omnia ille inuenit. Medicus

autem

autem cū sis, artifex sensualis debes esse, ita vt visis mirabilibus ex remedio effectibus quiescas, nec imaginarias rationes adducas quare videlicet Gal. cucurbitulæ in pleuritide nō meminerit, lege Trallianum in hunc modum scribentem.

Verum sciendū est, plerosq; præsertim in quibus nō adeò magna sanguinis copia in venis superare videatur, iuuisse locum acutissimo scalpello probè scarificaße. conuenit autem cucurbitula quoq; post cutem incisam vti vt quod in ea continetur, ex alto attrahatur, atque hoc facto mirari licet quomodo inde etiā dolor qualiscumq; fuerit licet vehementissimus conquieuerit, vt neq; fomento neq; alio præsidio indiguerit. hoc medici priuatique omnes vsi sunt, longa id experiētia edocti, & iuuant. hactenus Trallianus.

Desine igitur vsque adeo inhærere Methodo non semper vti li, & ad ipsam experiētiam cum Vallesio interdum deueni, nam aliquādo ars est extra rationem artis agere, & in præcipiti periculo multa fiunt, quæ alias essent omittenda.

Imitanda est natura cum rectè operatur, &c.

Si excretiones præter naturam aliquādo vtiles sunt, cur, & si illa humorum inclinatio mala sit, aliquādo nō imitabitur, videlicet cum humor cōtentus in parte est impedimētum bene reuellēdi: atq; ita nihil vetat illum prius per ipsam partē euacuare ut supra dixi, adde quòd per ipsam met partem, & regionē per quam nō oportet vergere, etiam aliquādo euacuamus, vt mediicamento expurganti in dyssenterico, & diarrhico fluxu.

Legere & non intelligere nec legere est.

Alia littera habet, negligere est. tu legis & me nō intelligis sed me negligis. nonne in proposito nostro casu duo cōnectuntur, dolor & fluxio ita vt vnum sine alio sanari nō possit? at impossibile est sanare fluxionē, nisi prius dolor fuerit mitigatus, quoniam hic proxima est fluxionis causa: & quāto vehementior est dolor, tanto majus facit negotium fluxio.

Sed audiant tecū qui se esse primos apud Vallesiū existimāt nec sunt, Illum seniorem factum & Galeno imbutum, &c.

Sed ne videaris de Vallesio triumphare quod factus jā senex scripserit, si dolor vrgeat, narcoticis debere sedari. Attende aliud esse dolorē mitigari, aliud auferri doloris causam, dolor quatenus symptima est duobus modis mitigatur, vel anodinis, & cū hæc nō sufficiūt, ad secundū genus videlicet ad narcotica quæ stupore tollunt sensum procedimus. & in hoc sensu etiam intelligitur Vallesius ibi. Secus, est cum doloris causa aufertur,

B 3 quæ

quæ vel per sanguinis missionem, vel per cucurbitulam cũ scarificatione potest auferri.

Maledictis mordens bellum conterraneo inducere partas, &c.

Non licet medico honesto tot maledictis respõdere. Sed ad rẽ venire. Si solis reuellẽtibus dolorẽ pleuriticum in quo nõ cedit humor, curare intẽdis eomodo quo phlegmonosum affectũ Gal. curat, omissa indicatione particulari ejus qđ in parte affecta vrget, nec revellẽtib cedit; quur nõ vis dicã te mortẽ expectare

Nusquam verò Hippocrates & Galenus ad euacuationem partis accedunt ante omnimodam totius euacuationem.

Cap. 3. ¶ Qui intelligi debeant prædicti auctores legas Vallesiũ. lib, 3. Meth. & hoc de regulari curatione est intelligẽdũ, vt ipse dixi. Nã aliquãdo irregulariter, & cõiectè peruertitur ordo regularis, incipit enim aliquãdo medicus ab alteratione, deinde euacuat.
Cap. 1. Sic in vehementia caloris febrilis processit Galenus. 10. Meth. meden. & Avic. Sic etiã incipit ab euacuatione causæ cõjunctę
F. 1. 4. t. 2. prætermissa antecedẽtis, rediens deinde ad antecedẽtem; Vt
c. 7. cum materia est venenosa aut turgens aut vrgens. Exemplũ ex Pereda adductum cõtra me nõ militat, cum nõ negẽ ego remigrationem esse possibilem (atque ita me vnũ male excipis) sed aliquãdo adeò esse difficile vt tardius fiat quã pro morbi vrgẽtia, & acutie inducias tũc tẽporis expectãdi nõ præbẽtis. Quin potius credo apoplecticos vena secta mori, quia hujusmodi regressus tardius fit quã morbi acuties, & velocitas petit. Cumq; dicis te dubitare an seriò an per jocum meã expositionẽ typo dederim; ego nõ dubito te magis jocosum medicum quam serium in tua responsione agere.

Si hoc ita esse verè sentis, &c.

Multa profectò scribis, quæ aliter scripsisses, si nõ tam rapido, & fero contradicendi seu potius maledicendi animo efferreris. Iam eis omnibus quæ hic scribis, satisfeci, cum ad tuum argumentum respõdi. Nec non cum ad particulam vbi ais deinde in secundo commentario quod est noster Achilles, & ad ff. vbi scribis non video quodomo non offendas Vallesium.

Te miserum non advertis, &c.

In quiro dolorem pleuriticũ vrgẽtem auderes tu qui tã Methodicus es, narcoticis curare? minimè. Melius Vallesius; cũ retrahentibus nõ cedit, nec anodinis dolor sedatur, cucurbitula cũ scatificatione curat. Locumq; quæsiuit vbi privs sedãduus esse

dolorem

dolorem Hipp. præcipiat. quē cū indicatio sumpta ab ipsa affecta parte, & humor impactus curari narcoticis prohibeat, merito quidem ad cucurbitulam in hujusmodi vrgētia, nō ad vrgentiam tanquam ad sacram anchoram vt tu dicis, confugit.

Adeo ne turbatus es ut ad tertium respondeas intacto. &c.

Ad tertiū respōdi quia ex ej⁹ respōsione illa facillimè soluūtur.

Oppositum docet Galenus dicens, apparet igitur vtrinque, &c.

Id quod adducis ex Gale. te adductturū olfeci, ac proinde data opera ipse te anteverti, cū scripsi Gal. quamvis dubitauerit an esset illud Hipp. nō cōtra dicere nostræ opinioni, sed refellere eos qui dolorem, qua dolor est, dicebāt curari dolore. Neq; enim (inquit ille) dolor dolorē curat, sed remediū quod cum dolore affectum doloris auctorem delet; ac proinde rectè dixit quātum in ipso est invtilem esse dolētibus dolorem. En quem cæcus fueris, si quidem incidisti in rete quod tibi nō tetendi, immo potius id te effugere intendi.

Nonne dixti nuper non a Methodum est? &c.

Ecce autē alterum. Cum dixerim in recta, id est, regulari curatione propositionem tuā intelligi: vnde valet hæc cōsequentia, ergo succurrere vrgentiæ a Methodum est? Valet autē hæc ergo succurrere vrgentiæ cura coacta est. In qua non valet tua confirmatio sed in regulari. Quare ita semper respondebo, dicam quæ semper aliquid constans.

Dum modo corpus nō sit sufficiēter euacuatū obstabit, &c. Iam sufficienter euacuatum licet nō omnino præsupponitur. Nec ideo dabitur vacuum, cum veoæ possint subsidere ad modum follium, vel aere impleri: & si quid attrahatur, proinde iterum ad revulsionem redimus.

Argumentū petit Methodū vniuersalē, cōcluditq; prius sistendū fluxū.

Ex definitione vrgētis á te posita majori auxilio indiget dolor, est enim is vrgens in nostro casu, non fluxio. Vnde quando per sanguinis missionem dolor tolli nō potest, per cucurbitulam cum scarificatione commodius aufertur.

Siuis esse medicus Galeno invigila, &c.

Cum Alexandrino conuenis in vrgētia. de reliquis cōsiderationibus, quæ sunt contrate eum tacere, & loqui Vallesium jubes. Magnū profectò imperiū habere debet qui tam insignes viros vnum tacere, alterum loqui jubeat. Sed attēde Vallesiū sic scribētem (verisimiliterque expectas sua hora supetvēturam remissionem)

sionem) loqui de doloribūs qui suos habent veluti & febres circuitus. Minime de illis qui inducias expectandi nó dant,nec certa hora remisionem superventuram scimus, qui ob suam vehementiam minimé remittentur,nisi æquè vehemens adhibuetis auxilium.

Sed nonnullis tanquam futilibus transactis, jam ad solutionẽ contradictoriarum, venio qu. rū respõsione vltimũ colophonẽ toti nostro opusculo imponam.

Hæ sunt tuę cõtradictoriæ,in omnium dolorum exposcẽtiũ sanguinis missionem vehementia ob vrgentiam sanguis mitten dus est, in alicujus doloris exposcentis sanguinis missionem magnitudine ob vrgentiam sanguis mittẽdus non est. quas dicis per me dari simul veras.

Cum auxilium Galeno auctore lib. de optima secta ad Trasybulum ex præsentia postulantis, & ab sentia prohibentis desumatur, ut vera sit vniuersalis propositio,addi debet,si nihil pro hibeat. At particularis hac condicione adjecta minime gentium erit vera, sed falsa. Nũquam enim mihi probabis hãc particularem esse verãm in alicujus doloris exposcentis sanguinis missionem magnitudine ob vrgẽtiam si nihil prohibeat sanguis nõ est mittendus. Atq; ita manet vera mea propositio, in qua assero in alicujus doloris pleuritidis scilicet nõ cujuseumq; ma gnitudine ob vrgentiam est cucurbitula adhibenda, videlicet in quo sanguinem mittere vel virium imbecillitas vel maligna inflamatio impedit.

Quòd si respõderem vt supra,præceptum illud Hippocratis (velut omne vniuersale) suam habere exceptionem, cur nõn esset acuta responsio. Si necessitates,& impossibilitates Hippocraticas dicat Galenus nunquã raros casus excludere.

FINIS.